



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

De irregularitate contenta in c. lavenculas, 20. qu. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

De Irregularitatibus, seu inhabilitatibus.

§. IV.

De Irregularitate contenta in c. fin. de fil. presbyter.

IRREGUL. I.

SUMMARIUM.

- 1 Abbatissatus est Dignitas.
- 1 Monialis illegitima non potest eligi in Abbatissam, & n. 4.
- 3 Qui promovetur ad honores, debet esse de legitimo matrimonio natus.
- 3 Monialis, quæ habet in sæculo matrem inhonestam, non debet eligi in Abbatissam.

ADNOTATIONES.

- 1 Dicitur in hoc textu, quod illegitimè nati, non promoveantur ad Dignitates sine dispensatione Apostolica, quæ prohibitio, licet respiciat Viros promovendos ad Ordines, nihilominus quodammodò trahitur (quamvis improprie) etiam ad promotionem Mulierum Religiosarum, quæ eliguntur ad prælaturam Monasterii, nam Abbatissatus est Dignitas, ut habetur in c. indemnitatibus §. Verum de elect. in 6. & ideo Moniales illegitimæ sine dispensatione Apostolica ad illam eligi non possunt, & si eligantur, confirmandæ non sunt, ut monet glos. in d. c. indemnitatibus verb. canonica: quia, qui promovetur ad honores, vel regimen spirituale animarum decet, quod sit de legitimo matrimonio natus, ut dicit glos. in c. cum incunctis ver. matrimonio de elect.
- 4 Et quamquam non desunt DD. qui tenent, quod Monialis illegitima possit eligi in Abbatissam absque Papæ dispensatione, ex quo nullus canon in jure reperitur, qui ob defectum natalium inhabilitet, & irregulares faciat Moniales ad Abbatissatum, seu Prioratum, & pænæ non sint extendendæ, quos referunt Pelizar. d. c. 8. num. 43. Donat. in prax. tom. 4. tract.

7. quæst. 37. n. 1. & seqq. & ita quoque olim tenuerit S. Congr. Episcop. ut in Decretis à me relatis par. 1. tit. 11. ad form. 22. nu. 13. tamen seclusis Religionum privilegiis, verior sententia est quod sine dispensatione non eligatur, prout auctoritate antiquorum Canonistarum aliorumve jurium, & contrariis rejectis, plenè probat Fagn. in c. ut filii à n. 38. ad n. 60. de fil. presbyt. & eam sequuntur Donat. d. quæst. 37. n. 9. & seqq. Lauret. de Franc. contr. par. 1. n. 689. ibique Pasqualig. Passerin. de elect. d. c. 40. n. 43. ubi affirmat, quod hæc semper fuit constans opinio S. Congr. & plura Decreta allegat recentiora, & hanc sententiam dicit absolutè veram, Ricc. collect. 3716. ubi ampliat in ea Moniali, quæ habet Matrem in sæculo inhonestam.

De irregularitate contenta in c. juvenculas 20. quæst. 1.

IRREGUL. II.

SUMMARIUM.

- 1 Viduæ, & aliæ Mulieres corruptæ si profiteantur in Religione ad munus Abbatissatus, sine dispensatione non assumuntur, nisi corruptio, esset occulta, & n. 2. & 3.
- 4 Monialis Bigama non eligitur in Abbatissam.
- 5 Declara quando est corrupta, secus si non sit corrupta.
- 6 Abbatissa si sit excommunicata tolerata potest recipere Novitias ad habitum.
- 7 Amplia in Monialibus excommunicatis, quæ valide votum dant in receptione Novitiæ.

8 Abba-

8. *Abbatissa publicè excommunicata, non potest recipere Novitias ad Religionem, & redditur ratio.*
9. *Abbatissa canonice electa, præcipit Monialibus in virtute Sanctæ obedientiæ.*
10. *Et ex commissione majora præcepta imponit.*
11. *Abbatissa ex privilegio, vel Consuetudine præscripta potest habere jurisdictionem in Clericos.*
12. *Non potest prædicare, neque administrationem honorum absolutam habet, & n. 13.*
14. *Dat facultatem Monialibus retinendi minuta, non autem superflua, & num. 15.*
16. *Superior non potest facere Religiosos proprietarios.*
17. *Mulier major excommunicata denunciata, validè contrahit, & n. 18.*
19. *Contractus Mulieris innixus falsæ causæ, corrumpit per remotionem consensus.*

ADNOTATIONES.

1. **E**X hoc textu, in quo prohibetur, quod non eligantur Abbatissæ, nisi sint Virgines, colligunt DD. quod Viduæ, & aliæ Mulieres corruptæ, si recipiantur in Monasterium ad professionem, eligi deinde non possint ad dictum munus sine dispensatione Papæ, vel saltem Sac. Congregat. ut tradunt aliis pluribus allegatis Donat. loco citato quæst. 30. num. 1. Pelizar. de monial. d. cap. 8. num. 45. Corrad. prax. disp. lib. 6. cap. 1. num. 47. & ita respondit S. Congr. Episc. in Cassanen. 29. Jan. 1585. & in Sarzanen. 15. Julii 1616. Barb. in sum. decis. Apost. collect. 725. num. 4.

2. Et quamvis Barb. in dict. cap. juvenculas, conetur ostendere, quod hæc opinio nullo jure probetur, & quod contraria sententia, quam ipse amplectitur nempe, quod Vidua, aut alia Mulier non Virgo possit eligi in Abbatissam absque ulla dispensatione, sit verior, & idem sustineant Portell. & alii: tamen ut dicit Donat. loco cit. inutiliter fatigantur, cum in praxi prima opinio, quæ habet pro se Decreta Congregat. servetur, de qua

testatur Corrad. supra allegat.

Est tamen verum, quod si corruptio Monialis electæ non Virginis esset secreta, & occulta, electioni non obstaret, & electa renunciare non teneretur, quia nemo tenetur se prodere, & turpitudinem suam manifestare, præsertim cum hic non agatur de censura, nec de vera irregularitate, ut observat Pasqualig. ad Franc. contr. part. 1. num. 693. Pac. Jord. elucub. tom. 1. lib. 5. tit. 6. numer. 18. ubi agens de benedictione Abbatissæ dicit, quod corruptio occulta non præbet impedimentum electioni, & benedictioni, & pro certo tenet Passerin. de elect. dist. cap. 40. num. 52.

Illud autem quod dicitur de Vidua locum habet in Moniali Bigama corrupta, cui à fortiori applicantur, quæ de illa dicta sunt: sicuti enim Viri Bigami, non sunt Prælationum, & Dignitatum capaces, ita nec Mulieres Bigamæ, Gavant. in manual. verb. Monialium Officialis num. 4. ubi ex Majol. de irregularit. lib. 1. cap. 29. numer. 12. hoc ampliat ad Monialem filiam scænici, vel Histrionis, Donat. lococitat. quæst. 39. num. 2. & 3. Passerin. de elect. d. cap. 40. num. 54. ubi, quod Monialis Bigama excludatur ab electione ratione corruptionis; non verò ratione irregularitatis, cujus Mulier est incapax, unde si daretur casus, quod Monialis Bigama non esset corrupta, non haberet impedimentum, quin sine dispensatione eligi posset, & hoc est quod dicit etiam Tambur. de jur. Abbatiss. disput. 18. quæst. 13. Pasqualig. ad Franc. contr. part. 1. num. 696.

Porro, quod diximus supra de Moniali innodata censura excommunicationis, scilicet hanc validè non posse eligi in Abbatissam, etiamsi sit tolerata, non verificatur in canonice electa, & postea censura irretita, quoad exercitium Superioritatis activæ, hæc enim si non sit declarata, seu denunciata, potest validè admittere ad professionem Novitias, quia professio nihil aliud est, nisi quidam contractus inter profitentem, & Religionem admittentem, qui ab excommunicato fieri non prohibetur, & hinc oritur quod Moniales suffragantes, etiamsi essent

- sent ritè excommunicatæ (quicquid sit de earum peccato) validè suffragium ferrent in Novitiæ admiffione, quia istius receptio non est actus canonicæ electionis, sed unius personæ, vitæ, & morum approbatio. Secus verò si Abbatiffa esset publicè declarata, quia recipere quempiam in Religionem, & religioni incorporare, & Contractus ratione publici Officii celebrare sunt actus jurisdictionales, qui invalidè exercentur ab excommunicato declarato, validè autem à tolerato, & per consequens admiffio esset irrita; ut hæc ex Portell. docet Donat. *in prax. rer. reg. tom. 4. q. 26. per tot. tract. 12. Sayr. de censur. lib. 2. c. 9. num. 13.*
- 8 Abbatiffa autem, seu Monialium Præfecta, quæ nullum canonicum impedimentum habet, postquam sit juridicè electa, potest præcipere Monialibus in virtute sanctæ obedientiæ non potestate jurisdictionis, quam non obtinet, sed potestate dominativa spiritali, quam ex vi voti tradunt Moniales, quæ idè eidem obedire tenentur, ut contrariis rejectis firmat Passerin. *de stat. hom. tom. 2. q. 186. art. 8. n. 9. 1. & seqq.* & concordat Donat. *in prax. tom. 4. tract. 17. quest. 32.* etiam si præceptum Abbatiffæ esset contrà pactum, in receptione, & professione initum Donat. *d. tom. 4. tract. 8. quest. 19. per tot.* Ex commiffione autem Prælati Superioris potest exercere majorem potestatem, quam de jure non habet: & præcepta Monialibus majora imponere spiritalia, quibus parere tenentur, Graff. *dec. aur. par. 1. lib. 4. c. 5. num. 3.*
- 9 Et quamquam Mulieri sit interdicta potestas ferendi censuras Barb. *in c. dilecta de major. & obed. num. 5.* nihilominus Abbatiffa ratione Dignitatis, quam habet, ex privilegio potest jurisdictionem habere Provisores nominare ad suspendendum, & excommunicandum, Clericos Beneficiis providere, & instituire, Ricc. *in prax. par. 2. resol. 285. per tot.* Bellet. *disq. cler. par. 1. de discip. cler. §. 8. n. 19. & 20.* Passerin. *loco cit. n. 89. post medium,* & quod posset habere jurisdictionem in Clericos, etiam jure consuetudinis legitime præscriptæ, tenet Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 31. & 34. ver. notandum tertio.*

Non tamen potest prædicare, nisi hortando, nam Mulier quamvis sit docta, & sancta non debet docere, *c. Mulier. de consecr. dist. 4.* quia inquit Apostolus *2. ad Tim. 3.* Mulieres semper discunt & nunquam ad scientiam veritatis perveniunt.

Itidem licet Abbatiffæ de jure communi habeant liberam administrationem bonorum Monasterii, & Contractus facere valeant, adhibito consilio Capituli Monialium, ut probat text. in *c. continebatur, de his quæ sunt a prælat. glos. in c. dilecta de major. & obed. Donat. prax. rer. regul. tom. 4. tract. 8. quest. 18. per tot.* tamen talis administratio non est absoluta, sed ferè in omnibus Monasteriis saltem Italiæ, habet relationem maximè in rebus momenti, ad Episcopum, vel Prælatum, cui subsunt, quorum consensus regulariter exigitur, nisi aliud ferat Consuetudo, aut Constitutio Monasterii, Tambur. *de jur. Abbatiff. dist. 32. quest. 13.* Pelizar. *de monial. c. 10. n. 146.*

Et licet Abbatiffa possit etiam licentiam dare Monialibus retinendi peculium, & redditus ipsis concessios, hoc tamen intelligitur de quantitate discreta v. g. si dat facultatem Moniali expendendi scutum unum pro singulo mense pro minutis juxta declarationem factam a Clem. VIII. anno 1602. quam refert Quarant. *in summ. Bullar. verb. Monasteria Monialium post nu. 51.* Si enim licentiam daret ad superfluos sumptus, peccaret mortaliter. Donat. *d. tom. 4. tract. 15. quest. 36. num. 3.* Contractus, qui vigore talis licentiæ esset initus, posset per Superiores irritari, Pelizar. *de monial. cap. 4. num. 131.* Quoniam nullus Superior potest facere Moniales proprietarias, quales sunt hæc, quæ de rebus in usum proprium assignatis disponunt, in usum non necessarium, vel aliorum favorem, ut habetur in Decretis pro reformatione Monialium Neapoli, & Salerni emanat. anno 1592. quæ refert Donat. *prax. tom. 1. tract. 3. quest. 5.* in quibus tales contractus nullius roboris declarantur, Cherubin. *in sum. bullar. ad Const. Benedicti XII. 3. Schol. 1.*

Hæc autem inhabilitas ad contrahendum,

dum, quæ modo jam dicto cadit in Abbatissis, & Monialibus, non reperitur in Mulieribus sæcularibus, quamvis excommunicatis; quia cum Contractus ab excommunicato etiam denunciato gestus tanquam à privato, sit validus, ut firmiter Sayr. *de censur. lib. 2. d. c. 9. num. 11.* & alii ab eo allegati, nullum aliud habent ad hoc impedimentum, nam Mulier major, præscindendo à Constitutione Marchiæ, vel particularibus statutis, potest libere, & validè contrahere sine ulla solemnitate, ut dixit Rot. cor. Merlin. *dec. 601. n. 15. & coram Dunozet. jun. decis. 608. num. 7.* Add. ad Pamphil. *decis. 111. num. 14.* dummodo causa expressa in contractu sit vera, si enim inveniretur falsa, ex hac falsitate contractus corrueret per remotionem consensus, eidem falsæ causæ innixi, prout eadem Rot. tenuit in *Narmien. Cambii 18. Junii 1685. coram Rondinino.*

De irregularitate contenta in cap. quicumque §. Hæretici de hæret. in 6.

I R R E G. III.

S U M M A R I U M.

- 1 Monialis filia hæretici, est inhabilis absque dispensatione ad officium Abbatissatus.
- 2 Et regula extenditur ad primum, & secundum gradum ex linea Paterna, ex Materna vero ad primum tantum.
- 3 Amplia ut regula compræhendat filios natos tam ante crimen, quam post crimen, & tam masculos, quam feminas, & n. 4.
- 3 Limitatur regula in filiis hæretici ad fidem conversi, qui capaces sunt officiorum, & Dignitatum.
- 6 Monialis orta ex maculato genere Judæorum, vel Maurorum, an, & quando possit eligi in Abbatissam, ostenditur & n. 7. & 8.
- 9 Indultum concessum Regularibus, extenditur ad Moniales ejusdem Ordinis, etiam in materia stricta.

Indulgentia concessa Regularibus, ex-

tenditur ad Moniales, etiamsi sint Ordinario subjectæ ibi.

ADNOTATIONES.

Disponitur in hoc textu, quod filii hæreticorum usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium publicum admittantur, ex quo proinde sequi videtur, quod Monialis filia hæretici sit inhabilis absque dispensatione ad Officium Abbatissatus, prout tradit Passerin. *de elect. c. 25. q. 9. n. 74.* & magis præcisè *c. 40. n. 55.*

Hæc autem regula ex citato textu desumpta, compræhendit primum, & secundum gradum per Paternam lineam; per lineam verò Maternam, non se extendit, nisi ad primum gradum, ut ex *glos. in figuratione casus in c. statutum eod. tit. docet Passerin. ibid. n. 2.* & compræhendit filios natos tam ante crimen, quam post crimen, ut de veriori testatur Cherubin. *in sum. bullar. p. 1. ad Const. Honorii IV. 2. scol. 1.* & tam masculos, quam feminas, quia ut alibi supra ostensum fuit, in hac subjecta materia, quamvis odiosa, & penali, sub nomine & appellatione filiorum, filias contineri communior sententia tenet, ut in terminis pœnæ filiis hæreticorum à jure impositæ tradit Barb. *appellat. 99. n. 54. & 55.*

Verum est tamen, quod regula prædicta procedit, in filiis hæreticorum non credentium, si enim hæretici redeant ad fidem, vel parati sunt illam recipere, & reconcilientur Ecclesiæ, eorum filii sunt capaces Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum, ut habetur in *Const. Alex. IV. 12. §. 12. & Honorii IV. Const. 2. §. 2. Bullar. tom. 1. pag. 90. & pag. 125.* quas approbavit Bonifac. VIII. *in d. c. statutum ubi Passerin. num. 3.*

Si autem Monialis, non ex Patre, nec Matre hæreticis: sed ex alio maculato genere Judæorum, aut Maurorum ortum haberet, & descenderet, si cæteræ ei non deessent qualitates, possit eligi in Abbatissam, seu Priorissam, prout volunt Tamburin. *de jur. Abbatiss. disp. 28. quæst. 14. n. 1. & 2. Pelizar. de Monial. c. 8. n. 48.* quia, ut ipsi ajunt, nullum ex hoc oritur